HASTIS
DEVICTUS HONOR
FORTUNA AVITIS ARMIS SUBIECTA
ILLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI
ac
REVERENDISSIMI DOMINI DOMINI

NICOLAI
à Dębowa Gora
DĘBOWSKI
DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPI CAMENECENSIS
Ad faustissimum in Limina Apostolorum Cathedralis Ecclesiæ D.D. PETRI & PAULI ingressum, inter gestientis Diœcesis tripudia, universorum applausum, Martis Lechici cataphracta gaudia

DECLARATUS
A Collegiis Diæcesanis Socîtis JESU
Annô triumphantis Numinis 1743.

In AVITUM DECUS ILLUSTRISSIMÆ DOMUS

Superavit honores omnes HASTA tuos. *Sylius Italicus lib: 6.*
HASTA ſummo lauream ferro gerit - *Seneca in Agamen:*



Pugnant pro terris & Cælo PRÆSULIS HASTÆ
Bina Polum vincit, ſubjugat una ſolum.
Partitur victrix optatos HASTA triumphos
Terræ unum tribuit, plura Trophæa Polo.
Et terris ad ſuppetias es lectus & Aſtris,
Æther poſcit opem, poſcit & arma ſolum.
Plura cui PRÆSUL tribuas, hæc indicat HASTA
Quæ Superis ſervit, quæve miniſtrat humo.

JLLUSTRISSIME
&
REVERENDISSIME
ANTISTES.

TRiumphali passu, Tarpeiæ Arcis Limina, quæ à fundamento eruti inibi Capitis, Capitolina Latium promulgavit, Triumphis oppressa, cladibus vastata, lethali ferro obruta, hostili acie, spoliis & bellicâ famâ onusti, conscendant Victores. TU ANTISTES JLLUSTRISSIME à certamine honoris, quod Avitâ

 atten-

attentâsti hastâ, inconcußô gessisti animô, victoriâ perfeceras, illud sublime subintra Capitolium, quod à summo in terris Capite, hoc est Tutelari Jllustrissimæ Camenecensis Cathedræ Petro, *solidiori compellari meretur ratione. Commentitio Capitolinum illud fanum sacratum fuerat Tonanti, hæc Supremo Numini, primoq; Ecclesiæ Capiti ædes Sanctissima dedicata. Triumphatori de Sacro honore, Virtute heroica in militante Ecclesia emerito, & tantæ conveniens victoriæ, sacerrimum panditur in* Jllustrissimo Capitulo *Capitolium. Jam universa Diœceseos Vota,* Tui *desideriô exhausta, tædiô confecta, jam singulorum animi, jam corda omnium & affectus, jam deniq; in quavis arena, pro* Tua *certantes gloria, Patritiam secuti* hastam Te *præstolantur invitantq; Victorem adornaturi ingressum. Inconcussum Christiani Orbis & Poloniæ propugnaculum, Urbs à triumphis & Gradivo inhabitata, nullô ferreô superabilis seculô, quia rigidô septa saxo, naturâ artifice, Architectô Cœlô, Rupella Sarmatiæ, Camenecense Fortalitium, ad cujus Petram, Sacræ Ædis Penetralia in Petro, Numen locaverat. Hæc, Avita signa, hæc, Triumphale ferrum, hæc, Te exoptat Victorem, ut sub* Tuo *Classico, arma gerat pro Superis, &* Tuæ *gloriæ militet. Acies tandem literaria, Minervæ trita præliis, doctô stylô instruitur, ut inter eruditos* Te *recipiat*

applau-

applausus. Eliminato Telo Palladis Patritium præfigit decus, hastiludia, pro Tui *Nominis intendens gloria, pro meta, orbita fortunæ proposita. At quæ tanta doctæ manûs dexteritas? quæ mentis agilitas? ut ingenii acumine illam valeat attingere, quam summa, aut* Tua *nonnisi Virtus assequitur. Non Achillis, sed Avitâ HASTA tenuitatem nostrarum metimur virium, quod nullo laudationis impetu, incircumscriptum famæ* Tuæ *terminum, Oratorum tenere possint desideria. Hæc attamen quæ inter erudita Olympia, in encomiorum cursu assequi eloquentia potuerat,* Tuo *subiicit conspectui, Victori defert scientificis innexa foliis, Phæbea fronde circumdat sarissam. Tota equidem laurearum messe, Avita arma Oratorii campi compsisse debuerant, sed ubi in erudita nonnisi degenerant folia, hæc inserta, nervosa constringimus dictione, Victorem licèt coronaturi gressum, quæ dum à culta styli vernantia ita decrescunt, ut in infimo nonnisi serpant, nec illo vestiantur flore, qui mentem recreet, insuperabile periculis Caput, scientiis sublime, odorifero distinguat nexu. Elangvidum in suo incremento hoc folium eloquentiæ fonte, multiplici sudoris guttâ animavit quidem labor, ut hausto revirescens vigore, primùm palpebram, frontem demum* Tuam *Majestate Venerandam, Sibi devincendo, exambiret. Sed*

elusit vota eventus, infructuosa campi parcitas. Illiusne? spoliatam fructu, nudam glebam an exilem damnabo curam laboremve? utrumq; concludo. Sed si sterilis campi dico vitium? neglectæ arguimur culturæ, si remissi laboris crimen? undiq; premimur, damnamur undiq;, evolvo tandem arcanum silentiô insepultum; vires labor, TUA ANTISTES CELSISSIME merita, laborem, meritis Tu ipse Oratorum superas eloquentiam. Quantaquanta dictionis vernantia Oratoriis campis inesse debuerat in adornando elogiis triumpho, ubi Dodonæ etiam superbum nemus in Triumphalem attenuatur pompam. Quanta eruditi styli & acuminis conscribi debuerat congeries, si pro Majestate Victoris, Trophæum ingeniosa Oratorum excitaret manus. Vicisti eruditam aciem, eloquentiæ superâsti conatus, doctos subegisti labores, admitte spolium in tenui volumine, pro quo erudita sudat arena. Corde insuper & affectu solemnia testamur signa lætitiæ. Certamus animô, taciturnitate peroramus, celebramus victorem, his majora quæ cordi insculpsit amor, quàm stylus in pagina exarare valuit, exoptamus, ut post hunc triumphum Septicolli Urbi Te summum fama invehat, & Cæleste demum inter Divorum Phalanges cum Triumphante Ecclesia conscendas Capitolium.

Ita precatur.

JLLUSTRISSIMO NOMINI TUO

Devinctissima

Diœcesana *Soc:* JESU.

PANEGYRICUS

SUmmum est, quod ingentium Virorum pro gloria & præmio venit. Nec aliter coronari consonum est merita, quæ omnium voto, eminentioribus ad admirationem, æqualibus ad invidiam famæ, minoribus ad ideam, universis ad prodigium sunt ultra exemplum, nisi ut plures in unum

A con-

confluant tituli, Honor in triumphum abeat, ipſa fortuna famuletur. Enitantur proinde ad hoc Honoris faſtigium, quos gloriæ incendit ardor, virtus attollit, efferunt elogia. TU PRÆSUL ILLUSTRISSIME, quia ipsîs altior es titulîs, infra TE ſingula, omnia TIBI ſubjecta habes. Et inde nova dictioni naſcitur quæſtio, cujus TUA ſunt occaſio Merita, fundamentum inquirendi ad ædificationem Virtus conſummata, & perfecta morum probitas. Majuſne à Titulis vergat viris pretium, omni encomiô & æſtimatione maximis, in quavis probatis arena, ad omnium præterquam ſui ſatiſfactionem pro Gloria decertantibus? an Tituli ab iiſdem ita Illuſtribus, ita æſtimandis & magnanimis, æqualem majoremve ſibi vendicent & concilient æſtimationem, ad libram ſumite judicii; ſtylô utraq; tuenda manet ſparta.

Deferimus cultum Titulis, & quos Univerſus adorat & exambit Orbis, nos contrà non aſſurgimus, umbram non adijcimus, quam ILLUSTRISSIMA pati nequit dignitas. Novimus etenim Oratores, quotquot non obſcurâ Lucinâ editos, quotquot ſceptrô ſummos, clavâ metuendos, & ſexcentîs ornatos inſignibûs legimus, illos ſuum à Titulis derivare decorē. Non inficior itaq; à titulis ingentes Viros plurimam ſortiri dignitatem; æqualem & ne dicam

majo-

majorem Titulos à Viris ſummis uſurpâſſe de, duco. Tumeant lacerti purpurâ, frons ſuperbiat diademate, pes Thronos proterat, manibus Regale blandiatur pomum, ſi nulli morum Regnantes ſubjecti legi, ſi ubi muricem induunt, verecundiam exuunt & ruborem, ſi in Imperio ſcelerum mancipia; infame heu! dedecus non tituli. Et hoc enimverò ſuprà titulos eminere, merita autumo, quo gemma præſtat annuli orbitæ, quo clenodia Diadematum peripheriis, quo Sol Zodiaci ſignis. Pro dignitate itaq; ingentium Virorū ſubſcribendum venit. Illi etenim Titulorum dignitas, honorum decus, Miniſteriorum elogium ſunt & ornamentum. Pro aſſerti documento, vos Monarchiæ, Imperia, Regna, & Provinciæ voco. Cuinam debeat culturæ, ferax gloriæ veſtræ ſolum, cujus adulta laurearum meſſis labori conveniat? quia ingentium Virorum culti excoluêre mores, collegit dexteritas, omne illis adſcribit & ab illis eſſe deprædicat. Emarcuiſſes in tui etiam exordio florentiſſima quævis Regio, ſi non ſudore, fuſo ſangvine, curâ & induſtriâ Magnanimorum conſervareris. Per trophæa tui computas antiquitatem, per cæſorum capita, dies ad calculum revocas, ſumma gloriæ ab omni numero abſolutis viris provenit.

Ad idem vocaris famæ clasſicum, ad eandem Illuſtrium Virorum invitaris coronam SACRORUM PRINCEPS, INFULARUM GEMMA, HONORIS SACRI DECUS, ex ſingulis Emerite, ex omni æſtimande PRÆSUL SACERRIME. Dignitas T U A minimè quemquam latere poteſt, nuſquam obſcuris innodata latebris, quas licèt avidè exambivit demiſſio, inde tamen magìs ad ipſum Orientem Luci expoſuit publicæ, prodidère ingenii talenta (videri quamvis non exambias) quod Nominis & Patriæ ſis pretium, PRÆSUL NICOLAUS, quàm TE IPSO opulentiorem reddis ad Tiaræ ſubſellia. Sed libet hæc pretia Majorum obducta ceris, Piſcatoris notata annulô, ad omnium æſtimationem depromere. Committe Cæſaris effato Fortunam in TE Patriæ fluminibus Oratoriis, naufraga minimè cymba ad Fortunatas Inſulas, quas Prædeceſſores TUI attigerant provehendam. Committe calamo Dignitatem TUAM in ſublime elogii efferendam, quæ ubi ex ſingulis augetur meritis, per ſingula celebrari prætendit. Prima igitur quæ Dignitatis occaſio, hæc elogiorum ſit initium, Nominis, Domûs, Majorumq; TUORUM ſublimitas, illorum exordia & origo. Injuriam quandoq; Lucinæ novimus fortunam, novimus, nunquam magis inſidiari tenebras,

quàm

quàm lucis exordio, nunquam rigidiùs ſævire vidimus Cœlum, quàm ubi in Materna conchilii viſcera, roris eliquatur gutta. Quæ Neptuni nunc longè latèq; ſeſe diffundunt Imperia, his etiam ſors invida adeò obſtitit, ut nonniſi per abditos terræ cuniculos, per exiguos ſalientis undæ latices, tenue in exordio, ampliari debuerit Tridentis Regnum. Expers tetrici purulentiq; fortunæ livoris, in ortu ſuo ILLUSTRISSIMA DOMUS TUA exſtitit, quam ſingulari prævenit favore, veſtivit murice, cumulavit ſplendoribûs. Majora proferam, hæc contulit, quæ plurimis negaverat, ut in ortu ſuo, non aliter, niſi Principis Aſtrorum more purpurata appareret, aut punicei corallii naturam indueret, quæ non prius ſpectaret Solem, quàm muricem, nec faſcias ante faſces, prætextam ante purpuram.

Documento ſit itaq; munifici hujus fortunæ favoris, DOMUS VESTRÆ grande columen, Nominis ſummus apex, Quirinæ à GENTILITIIS HASTIS Familiæ Caput, Frons Senatûs prima, ILLUSTRISSIMUS ANDREAS DĘBOWSKI, hic etenim fortunæ veluti enutritus in ſinu, medias inter ablactatus Dignitates, eminuit plurimis, reliquas in ſublimiores commutavit titulos, ferendis omnibus par pro merito. Ad ſublimia enim Natum, totam ve in

 in

illo ILLUSTRISSIMAM Familiam, mons ipſe demonſtrat, à quo tota nomenclaturam deducit Domus, ut Patrio utar idiomate: DĘBOWA GORA. Montem hunc Regium primò, PALATINUM deinde montem dicere liceat. Mons vel exinde Regius, quia a SERENISSIMO SIGISMUNDO I. in ILLUSTRISSIMO ANDREA DĘBOWSKI adamatus. Mons multiplici Titulo PALATINUS, quia primo ejuſdem vocabuli monti haud abſimilis, in illo etenim prima Romuleæ Urbis, jacta divulgantur fundamenta, ab hoc etiam pari aſſurgit exemplo ILLUSTRISSIMA DOMUS. In Thronum ille Regibus, ſolium imperantibus, Senatoribus in ſubſellium aſcenſumve Titulorum abiît, ubi hoc in monte primo Majeſtas enituit Imperantium. Geminum Senatorem in uno, plures in ſingulis, quia CASTELLANUM, mox PALATINUM BEŁZENSEM, CAPITANEUMVE RUBIESZOVIENSEM, à Nominis conſpexit Lechia exordio. Convolârunt in hunc montem Palatinatûs Bełzenſis Gryphi, quos ditioris metalli venatur amor, auri cogit fames, obryzo ſuperbis tumentibuſq; addicitadexcubias natura collibus, quia ſumma Palatino huic monti ab æſtimando ex omni Viro, ineſſe ſenſerant pretia. Hæc ille diviſit Titulîs, partivit Dignitatibûs, ſe totum bono donavit

navit Patriæ, & ſibi ita injurium, æquum eſſe judicavit. Divitem Gloriâ tanta effecêre damna, & ubi ſingulis merita diſtribuit Titulis, integerrimam ex omni collegit æſtimationem. Nec enim parvi æſtimari poterat, ſumma illius Dignitas, cùm nihil quod infra gloriam, quod tanto minus Viro eſſet, intenderet. Inter Pares Lechiæ, ſummus, inter Grandes pro Hiſpanicis omnium ille encomio maximus. Purpuratum in illo Patrem habere Patriæ experimentô didicit Lechia, cujus Filialem antea noverat affectum. Hanc ille diſcordantem quamvis, plenè conciliavit obligationem. Pro Filii, inter concives egit munere, in purpurato Patrum conſeſſu, Paternam gerebat ſollicitudinem. Contradicentium bono publico ſe objecerat odiis, ut ſuum Patriæ teſtaretur amorem, impalleſcebat ad purpuram, innumeris fatigatus curîs, ut Patriam rubori ſubtraheret, ſe in diſcrimina addixerat, ut tutiorem publicam redderet fortunam. In Senatoria etiam extra quietem curuli, verè providus, munificuſq; Pater Patriæ, dum in proprium adeò parcus commodum,

Hæreditariam ampliare ſortem, poſſeſſam retinere, retentam augere pretiô, Patrum muneris eſt & officii; in parte ille quidem ſe huic impendit muneri, totum etenim univerſo

 Purpu-

Purpuratorum Patrum debebatur Cætui; ubi pro hæreditaria Patriæ possessione, id est Terrâ Podlachiensi, summâ cum toto Senatu apud SIGISMUNDUM AUGUSTUM egit activitate. Hæc etenim Podlachiensis Terra, quæ summîs impensîs, quia magnanimæ virtutis censu, locupleti vulnerum reditu, venali Heróum comparata sangvine, parta triumphis, à primo ferè Lechi Dominio, pleno Juris titulo Regno debebatur Poloniæ, sub CASIMIRO tandem Pròávo SIGISMUNDI AUGUSTI, qui Litavo Polonoq; jura dabat Populo, absq; omni jure, inspersâ ignaviæ labe, à Patrio avulsa sceptro magnoq; Lithvaniæ adscripta Ducatui. Intolerabili tabescebat Reipublicæ corpus dolore ex tanta proprii avulsione membri, querulosâ (liberâ tamen voce) implebat Regum Palatia, Comitiorum Areopagum, quia tanto impar sustinendo fuerat cruciatui. Multo hic vocis gemitus fuerat irritus tempore, nec hos ad sui excitare valuit compassionem, qui gravem sublevare poterant dolorem, sicq; extra lenimen vulnus, extra medelam cicatrix, extra solatia mæror fuerat. In tam dolendo Patriæ statu, renovato spectavit Polonia exemplô in Purpuratis novos Macedones Patribus, qui propriâ interpositâ authoritate violentam Purpurâ alligârunt plagam, palpârunt vulnera, demulserunt

ſerunt dolorem, dum manum operi adjecerant, præmeditatum confecerunt remedium. Imperantis acceſſerunt Majeſtatem, excitârunt rationibûs, evicerunt precibûs, ſalutifera tanto malo conſilia. Igitur Lublinenſi cervo, ſaluberrimum judiciorum præſagiente ſenſum in Regni Lublini agitandis Comitiis. SIGISMUNDI AUGUSTI præeunte voto, concluſerunt ut Reipublicæ corpori ſuum membrum in Podlachienſi Terra, membro priſtinus libertatis reſtitueretur vigor. Stipulatam ad hæc cum opimo fructu SIGISMUNDUS pollicitus manum, cōſcripti ſubſcripsêre Acta Patres, authoritate roborârunt publica, obfirmârunt jure, adjudicârunt Regno, ut nunquam, niſi cum legum violentia, avelli à Polono Podlachia poſſit ſceptro. Auguſti celebrare viſa ferias, quinta Martii volventis ſe pro tunc Anni 1569 Polonia, dum ab hac die, fructificare Regno nominatam ſpectavit Terram, imo jam adultam, ubi hanc à Litavis evicit, laurearum retulit meſſem, ad quam comparandam nec ferrum falcemve, nec manum extenderat. Re veriùs quàm Nomine TE probâſti AUGUSTUM SIGISMUNDE, conſentientibus pro bono publico minimè cōtrariis votis, ampliâſti limitem dum auferri non permiſeras, donâſti ſumma, cum propria ad minimum reſtitueras, egiſti maxima, minus enim

C age-

agere non poteras, quiá AUGUSTUS re & Nomine fueras. A Throno ad Curules deſcendo, aurô notari dignum Veſtrum nomen ILLUSTRISSIMI Senatores, Legati, Internunciiq; Palatinatuum, quia aureæ defenſores libertatis, Boniq; Tutores publici, imo Patres Patriæ, pro ejus commodo anxiè, ſolliciti. Cedrus referat Veſtra nomina, cælum commendet exprimatq; ad literam glorioſa geſta, quia & immortalem nacti gloriam, & immortalitate poſt fata ornati. Omnium elogium, TUUM etiam eſt, imo veriùs primo primum ILLUSTRISSIME BELZENSIS PALATINE, non obliteratâ, imo indelebili fovetur memoriâ, dum hujus ſubſcripſeras reſtitutionis Lublinenſia Acta Nominis Tui Gloriâ. Termino minimê circumſcriptam ab hoc charactere TUI retines famam, hanc referunt ſecula, celebrat antiquitas, omnis diſcit deprædicatq; ætas. Dignitatem inde ſummam illius metiri libet, ſi à manu quâ nomen inſcribendo Comitiorum Actis adjecerat, tanta tenuit prehenditq; gratæ Patriæ encomia, quos vaſtiſſimum illud referre debuerat plauſus, caput, quibus non coronari encomiîs, non ambiri laudibûs. Et ſanè ex omni ille celebrandus, fertiliſſimam ex ſingulis Illuſtribus geſtis præſtitit præſtatq; encomiorū materiem. Cæſaris committo calamo, inſignem

tanti

tanti Viri dignitatem, ad ſingula impar celebranda. Refero pennam in Panegyres Illuſtriſſimæ illius prolis, unicam ille ſuſcepit, innumerîs in una auctus ſolatiîs. SOPHIAM ſcilicet Filiam, cui licèt ex omni magnum debetur Sophos, primum ſibi attamen vendicat locum exculta ad modeſtiæ leges Probitas, & SOPHIÆ reſpondens Nomini ſingularis quoad omnia prudentiâ. Non illi liberior in agendo modus, non inconcinna actio, non fucatus ſermo, ſed à roſeo hæc vox ore, ab actione geſtus, à procedendi modo quivis motus, qualem ipſa efformare Illi acceptiſſima valuit Pietas. Cumulatam favoribûs, dotatam animi corporiſq; talentîs, garrula effinxêre commenta Pandoram, quam ut venuſtiùs compſiſſent, creduliq; captarent fidem populi, ſingulorum munus in illa jactabant Deorum, cui Eloquentiam Mercurius, Pallas ſapientiam, Venus formã, aliiq; fabuloſi Dii naturæ dona contulerant. Innatas extra commenti partum has animi in ILLUSTRISSIMA SOPHIA dotes faſti explicant, commendant elogia, hoc tamen cum diſcrimine, quòd illa eliminent, hæc perennem merentur fidem. SOPHIÆ etenim nomen, non eloquentiam tantùm, ſed omnem declarat ſapientiam. Honor nitorq; oris jam Illam Gratiarum choro, Helenæ Græciæ, Pulcheriæ, ſexcentove

 alia-

aliarum inſerit numero. Religio pietaſq; Cœlo intulit coronandam. Matrimoniali hanc ſibi vinculo ANDREAS COMES de TĘCZYN Cracovienſis Palatinus obligavit, cujus Dignitatem, quæ ad Sereniſſimos Regni extulit Titulos, Palatinatûs Cracovienſis Aquila, hæc eadem publico exponit Soli ILLUSTRISSIMUM PALATINUM, candoreq; ſuo, Patrii candidatum denotat Solii. Par certè efformando illi Gentilitia fuerat ASCIA, ſi manum dexterrimus Virorum non ſubtraheret, in omnium regnare eligens affectibus, multiplici ad hoc promotus voto, quàm in ſolio ſublimiorem tanta demiſſio, illuſtriorem umbræ honoratiorem Titulorum contemptus reddidit.

Ferdinandeo in hanc Domum affectu, ASCIA ornatus LEO, hoc eſt à FERDINANDO I. Imperatore ILLUSTISSIMO PALATINO ejuſq; Poſteris in Patritium decus additus ASCIÆ LEO, Illuſtriſſimis jam aſſvetus Titulis, Sereniſſimos attamen tantæ dignitatis ferre impatiens ſplendores, horruit hanc flammam, quæ Dodoneâ ſylvâ ali exigit. Umbras petiit, quas laurô victricibûſq; vireſcens Domus hæc palmîs, ut ab omni æſtu tueatur diffundit. Applaude felicitati TUÆ TĘCZYNIANA DOMUS, lætos agite dies DĘBOWSCII, in gemina, una nunc DOMUS. Honor ipſe

ipſe certat de VOBIS ut ſibi devincat, qui plurimorum irritos atterit conatus, ſub Gentilitiam ire HASTAM, ad ſecures damnari prætendit, ut Domui Veſtræ immoletur. Honorarias has ſpectate victimas, in Honoris Gentilitiâ ASCIA fabricato Templo. In victimam Fortunæ terni illorum abiêre Filii, ſeu veriùs Honor ſe illis litaverat, Primus Natu & Dignitate, Palatinus Lublinenſis, qui ELISABETHAM Filiam CELSISSIMI NICOLAI RADIVILII Ducis in Olyka & Nieſwieſz felici junxit Hymæneo; ANDREAS Caſtellanus Belzenſis, JOANNES Palatinus Cracovienſis, Illuſtriſſimorum probitate & Titulis Parentum clariſſima Propago. Nec enim à Sole procreari niſi radii, ex viſceribus prodire conchilii, niſi gemma, à ſumma luce, niſi jubar primam derivare lucem poterat. In utramq; ab Illuſtriſſimis his Triariis ſe reflectit Domum ſplendor, utriq; fortunatiſſimam accendit diem, quia ab utraq; ſuum derivat nitorem, quas ut Orbi Lechico magis conſpicuas redderent, GABRIEL DANILOVICIANÆ Familiæ in SOPHIA, JOANNES OPALINIÆ in ISABELLA, Nominis partiti decus, ut ſingularum Gloria familiarum, utriq; huic Domui inquilina foret & propria, illarumq; Senatorios exornaret faſces TĘCZYNIANA ASCIA, DĘBOWSCIANÆ

ab omni ſatorum inſultu tuerentur HASTÆ

Bonis avibus quia gentilitiis CELSISSIMORUM RADIVILIORUM AQUILIS in TĘCZYNIIS fœderata in VESTRAM DĘBOWSCII ſe infert Domum, Familia CELSISSIMORUM CZARTORYISCIORUM, SANGUSZKORUMVE HASTAS pro gladio admittit POGONIA, ad hancq; collimat metam, à qua originem nexumve ducitis ſangvinis, hoc eſt TĘCZYNIOS. CRUX POTOCCIORUM, ab iiſdem VESTRÆ illata DOMUI, ad utriuſq; cultum Familiæ exponitur. Vernans Purpurarum ROSIS Nomen VESTRUM, liliis conjungit, quia COMES de TĘCZYN MAXIMILIANUS OSSOLINSKI THESAURARIUS OLIM REGNI, nunc PAR GALLIÆ, magnam DĘBOWSCIORUM Familiæ demonſtrans dignitatem, quæ ipſis etiam par ſummis.

Iliadem nucleo, Muſarum chorum, annuli gemmæ, terræ peripheriam puncto includere, punctum ſibi arroget ars Honoris, oratori hæc omnia ſunt extrà ſphæram, rotundam quāvis intendit dictionem, nec enim ſingula, periodorum comprehendi queunt ambitu quæ plura elogiîs implere debent volumina. Et tanta eſt Prædeceſſorum VESTRORUM ILLUSTRISSIMI DĘBOWSCII dignitatis magni-

gnitudo, quorum merita, Illuſtria geſta, venerandæ actiones, ubi jam fatigârunt prælum, libellos, codices, tomoſq; impleverant, bibliothecis cumulandis exſtant capacia. Unius nonniſi quia ſtylus humilis coluit, non extulit ILLUSTRISSIMI PALATINI BEŁZENSIS Dignitatem, & plura ſilentio præterire debuerat, dum magnitudo meritorum elingvem effecerat. Quodlibet etenim laudationis punctum, pneumatica fuerat periodus, quæ unius laudatoris exprimi nequiit ſpiritu. En iterum ANDREÆ PALATINO BEŁZENSI, ANDREAS DĘBOWSKI CAPITANEUS primò LANCICIENSIS, poſt BRZEZINENSIS ac demum SIRADIENSIS ſuccedit CASTELLANUS, ut Nominis ita & Gloriæ ſucceſſor legitimus, cujus perſcrutanda manent pretia, luſtranda venit æſtimatio. Crux enim ANDREÆ, quæ olim Tiberio, nunc reconditum in hoc viro meritorum præſagit monſtratve theſaurum. Ergo omnem movebo lapidem, ut abditum æſtimationi omnium proponam. Sed non cæca ille cavernoſi ſpelæi tegitur latebrâ; Poſterorum excutienda veniunt corda, ſcrutandi ſenſus & memoria. Talia quippe cordi omnium, quæ affectum ſibi deliniunt, ineſſe debent talenta. Detectum itaq; hunc meritorum theſaurum, inter antiquitatis repe-

rio volumina, ſingula lanci Themidis impono, cui tanquam Supremus Legis Aſſertor, quia CAPITANEUS LANCICIENSIS præerat. Deprimunt illam quidem ſuo pondere, ſed ut magis valorem tanti attollant Viri. In hoc ille munere, non proprio ſed communi bono, & conſervandæ aliorum intentus fortunæ, talia, reſcindens lucra, quæ ſubditorum damnîs foveri conſvevêre. Nulli injurius, omnibus beneficus, omnium utilitati proſpiciens. SUPREMUS JURIS Arbiter, quia CAPITANEUS, nullius Haſtæ ſubjecit bona, quod non legis impulſu agere videretur, non in unius magis propenſus cauſam, quâm alterius, nec uni ita adhæſit parti, ut ab alia avelleretur. Ad fortunæ cadavera (nam & hæc judicio præſentari exigunt) corruptionis expers, infractus precibûs, incōcuſſus obſequiîs. Hæc judiciali decîdit ſententiâ, quæ Supremi approbationem Judicis merebantur, jus gladii ipſum nonniſi ſenſit ſcelus, ut poſt fata ſaltem nefas ſangvine dilueret, ad quod patrandum, nequaquam in vita erubuerat, non Caſtrioti præferens manum, quæ pro minimo etiam extenſa foret nævo. A judiciali, quia Capitaneali hoc ſubſellio, Senatoriam aſcendit curulem BRZEZINENSIS CASTELLANUS, ſed iterum â curuli, publicô votô, cum eadem dignitate, ad Judicis evocatur

tur ſubſellium,in Comitiis Varſavienſibus, ad luſtranda in Maſoviæ Palatinatu, Majeſtatis Regiæ bona, diſcutiendos proventus, examinandos reditus. Redegit ad calculum ſingula, reduxit ad computum proventus, numero comprehendit reditum. Dilapidata per iniquos Poſſeſſores bona, ſanciti animavit vigore, extenuatæ plebi cenſus imminuit, ut augeret, auxit, ne reditum minueret. Nec ita cumulando Regio addictus theſauro, ut ſubditorum ſortem detrimento objiceret, utrorumq; bono intentus, ut emergens averteret malum. Rediit ab hoc ditior munere, ſed encomio, ſed famâ ſed Nominis laude, extorſioni & ille deditus, ubi omnium corda, in ſui traxit amorem, compulit affectus in debitam pro irrequieto conatu, ad ſingulorum emolumentum gratitudinem. Hanc omnium in uno ſpectavit SIGISMUNDO Siradienſi donatus ſubſellio, CASTELLANUSVE promulgatus. Majora quidem illi debebantur, quia optimè de Regno; Regiaq; meritus fuerat majeſtate; brevì & hæc aſſecutus intervallo, cum ad PALATINI SIRADIENSIS evectus dignitatem. Primæ etenim magnitudinis ſyderum naturam imitari, in polo Patrio Titulis Illuſtria conſvevêre ſydera, quæ ad ſummam dignitatis augem, niſi per gradus (quod Aſtronomorum vigil obſervat ſcientia) eluctan-

tur. Et Palatina jam redimitus dignitate, Nomen actis inseruit, dum STEPHANUS PRIMUS, Rex Poloniæ, Princeps Transylvaniæ, Patrias firmaret Leges, libertatemq; servile subditorum exosus jugum, Patriæ Civibus ampliaret.

Ad Purpurati Sangvinis iterum redeo Rubiconem, fontem elogio coronaturus, cujus cumulatiora Nilô specto ostia, per quæ se ILLUSTRISSIMA diffundit DOMUS, patriumve irrigat solum, ut florem Nobilitatis Purpurarum Rosas, Violas Præsulum progerminet. Profluit equidem novo purpureo amne, sed quo ad Nominis compellationem ignoto. Profluit in ILLUSTRISSIMO CASTELLANO ROSPIRENSI DĘBOWSKI, hunc novum ab hoc Sangvinis Rubicone Narcissum enatare dicerem, qui limpidissimo huic ita immersus fonti, ut nomen, non nominis tamen amiserit gloriam, odoremq; famæ reliquit posteris, postquā vernare desiit, nisi quod non excluso etiam candore, murice depingatur. Ex hoc fonte minimè invidam nostræ notitiæ infero antiquitatem, arcanô factum censeo consiliô: Cœlo etenim Indigetis sui Nomen, quod non absimili illustravit virtute, Posteris Cognominis Gloriam reliquit celebrandam. Aut quia unus tanto non suffecerat Nomini Orbis, Sanctior Alexander

der Divorum petiit Regna, quibus tantum inferret decus, ne coarctari cenſeretur. Glorioſi attamen nec ille expers Nominis, ſingularis virtus, quælibet Heroica actio, novum tribuit Nomen, laudabilemq; tot Titulîs, exhibet poſteris.

Sors jam in MATHIAM cadit, hoc eſt ILLUSTRISSIMUM & REVERENDISSIMUM MATHIAM DĘBOWSKI. Certant de TE elogia ILLUSTRISSIME CHELMENSIS SUFFRAGANEE, ut TE optato ſibi lucro comprehendant. In magno etenim, quia ex Nominis interpretatione: Parvus Domini, ubiq; es pretio, & niſi Parvus eodem ſenſu fores, ad Vicariam, ſummamq; Apoſtolici muneris poteſtatem, in Epiſcopali Dignitate, facili negotio evehereris. O! grandem in parvo, quia MATHIA dignitatem, cui etiam maximum haud par eſt decus. Jam Celſiſſimi, jam Eminentiſſimi TE præſtolabantur Tituli, ſed & hi, niſi ad ſummam eamq; in ſacro honore proveherentur dignitatem, æquare TUA vix poſſent merita. Nobis hæc opinari permiſſum, litem cum ejuſdem vitæ filo præcidit fatum, dum præcoci ictu Numinis, victima & ipſe (ut ita dicam) ſummus Sacerdos occubuit. Ille honori, non illi honor immortuus ſepulchrali attritus & diminutus lapide, à magnitudine meritorum, etiam cum proſtratus à fatis jacet, cum

 Rho-

Rhodio Coloſſo miraculum eſt. O! ſacrilegum fatorum auſum! ſicciné impunè immunitates violantur Eccleſiaſticæ? ſicciné ſacrorum coli debent Principes? Incuſate temerarium Libitynæ facinus, quæ uno ictu multis lethale inflixit vulnus, ubi Eccleſiæ fulcrum, in ruinam inclinavit, Illuſtriſſimæ DOMUS & Patriæ columen, alliſit terræ, ab ipſo concuſſit fundamento, quaſſavit, protrivit, in cineres uſq; redegit. A cineribus his Phænix evolat, quia in Sacro Eccleſiaſtico ſtatu, ætate illâ ex Illuſtriſſima Familia unicus. Præeuntem ſequitur Suffraganeum PERILLUSTRIS REVERENDUS DĘBOWSKI, ut probitate, ita ſcientiâ ſummus, auctoritate, quâ in Regum pollebat Palatiis, multis ſuperior. Meritorum Honor, quô eminebat aliis, vel exinde eluceſcit, qui ipſos ſibi ſubjectos vidit Reges. VLADISLAO IV, pro actionum illius moderatore, & regulâ morum datus, quem probitatis & ſcientiæ ita inſtruxit artibûs, ut virtutum ille gymnaſio erudiri, pietate magiſtrâ, aut medias inter ſcientias profeciſſe cenſeretur. Non tantum Senecæ præcepta ſucceſſum in Cæſarum inſtitutione habuêre, quantum Emeritiſſimus Virorum, totaq; Polonia in Sereniſſimo obſervavit VLADISLAO Motricem TE Intelligentiam, in Patrio Cælo obſervat dictio, dum Regni primum

ſidus

ſidus, motum omnem à TUO exequitur annutu. TIBI idem debet, quod nunquam erraverit, TU Illi, à quo Titulorum derivâſti ſplendorem.

In Gradivi ab erudita deſcendo arenam, Bellonam ſequor pro Pallade, ſtylum, quem in ſaxis expolio Stephani, gladio conjungo Enſiferi PERILLUSTRIS STEPHANI DĘBOWSKI ENSIFERI LANCICIENSIS, eundem cum militari ferro in Trophæum erigo, in Mavortis arvis Triumphatori, extrà ſangvinolentum certamen, victori animorum; ſagum ille cum chalybe à prætexta fermè induit, hocve hoſtium tinxit cruore, ut abſq; murice purpuratus appareret, caſtra non ſecutus tantùm, ſed omnibus præivit ad certamen & victoriam, torpentes excitavit in aciem, ad cædem mortemq; hoſtium animavit. Leonem ille fortitudine non naturâ, in armorum æſtu imitatus, qui nũquam belli exhorruit flammam, imo ab hac magis, in adverſariorum incenſus eſt cladem, ut hoſtem extingveret. Militaris, illius palato arriſit inedia, excubiæ noctiſq; vigiliæ pro ſumma quiete, laborum tædia pro nectareo fuerant ſolatio. Non tam Miltiadis trophæa Themiſtoclem, Philippi Patris victoriæ Alexandrũ, Romani Nominis famâ juratum eidem hoſtem Annibalem in acerba incitârunt certamina;

 quanta

quanta desideria, ad majora attentanda in heroico illo pectore indomitus Gradivi fervor succenderat. Si iterum hianti veluti ore per terræ voragines ex inexpleta fame, ad absorbendos incolas, rugiret terra (ut quondam Romanis contigisse novimus) pro integritate Patriæ, alter ille Curtius insiliret, ut immane os fatorum obstrueret. In pyras cum Scævola, damnaret manus, ut per jacturam propriæ, auxiliarem Patriæ exhiberet dextram. At ubi ejus assveta fuerat gladio manus, ejusdem in manibus jus gladii Universa Terræ Lanciciensis, ut pote Judici Terrestri reposuit Nobilitas. Desperare in propria nemo causa, metu nemo concuti de securitate legum, aut de juris poterat violentia, ubi Mars Themidi fœderatus, legum tuebatur observantiam. Novum Astrorū in illo Horizonte concursum spectâstis observatores Cæli Patrii, dum Martis sidus, signo conjungebâtur libræ, felici ut opinor augurio. Divinare seu veriùs renovare oracula liceat Oratori, & tunc vel maximè æquissimum pronunciare ævum, in neutram enim partem, bilanx æquitatis declinare poterat, quia hinc Martis, inde Themidis sustentata manu, quæ à principali propendebat movente. Ex utroq; STEPHANO debetur Corona, hanc in ærario ILLUSTRISSIMÆ repono FAMILIÆ, & SUB

PER-

PERILLUSTRIS ANDREÆ DĘBOWSKI, Lancicienſis Vexilliferi, Proavi TUI PRÆSUL ILLUSTRISSIME recurro Labarum, ejus militaturus honori, cujus ſigna ipſe Gradivus & Fortuna incoluerat. Metuendum hoſti, ſi intra exundantia belli pericula, funeſtoſve conflictus, vexillum explicuerat, eo feliciſſimo ſemper ſucceſſu, ut adverſam cladibus implicaret aciem, quam ita involverat, ut arctiùs nodô Gordiô teneri videretur, nunquam enodanda, niſi omni ſpe vitæ præciſa. Signa ſignis, *Vexilliferum* confero *Vexillifero Leopolienſi*, è ſtirpe *Korabitarum Kowalſcio*, cujus præclara facinora, ex facie rerum Sarmaticarum pronum eſt legere, in uno utrumq; adumbratum, eandem heroicam ambos ſpirare animam, abſq; Metempſychoſi ſpecto, diſcrimen quamvis intercedat aliquod, non ideo tamen ſibi abſimiles. Vexillifer enim Leopolienſis in prælio cum Tartaris, bellica præferens ſigna, cum adverſa belli Noſtris obveniret alea, faveret hoſtibus, cæſi plurimi, alii ſe bono reſervantes Patriæ, tritô effatô transfugæ, maturârunt fugam. Clypeata Virorum ſeges cum ILLUSTRISSIMO VEXILLIFERO, militari adhæſerat manipulo, quæ ubi ad illorum maturuit victoriam proſtrata, chalybe. Ergo conſpirato ictu, ſummus Heros & Vexillifer cæditur, ſed ne in Elyſios cam-

pos, ſigna transferret victoriæ, labarum primò barbarus extrahit, quod auferre impotens, dextram lethali avellit plaga; dexterrimus cum mancus etiam Heros, alterâ ſignum comprimit, hac quoq; amiſsâ, omni quo poteſt, vexillum tuetur modo, quod dentibûs arripit, truncatus manibûs, ſeq; integro obvolvit, eò gloriosiùs occumbens, quò fortiùs in arena perſtiterat, eò laudabilius è vivis abiens, quò irruenti fato minùs ceſſit, priùs vitâ quàm labaro ſpoliatus. Et quia integer vinci non poterat, per partes Virum mors aggreſſa, ut mortalem oſtenderet. Magnanimum hunc loquantur vulnera Heroem, vocalis, citra os tale, quod ferrum aperit fama PERILLUSTRIS VEXILLIFERI LANCICIENSIS, cum inconcuſſo periculîs, inſuperabili armîs, hoc bellatore; Alcidæ quamvis indueret robur, nondum ſecurus manum conferret hoſtis. Non adverſariorum ille expectavit, aſt prævenit ictum, nec ita diſtentam vexillô vidiſſes manum, quæ illico non expedita foret in cladem. Minùs egiſſes Heroum Maxime, ſumma licet ille exhibuit, hic, niſi dextram ſiniſtramve amitteret, immenſum gloriæ honorem non impleret, truncatus à TE hoſtis, TIBI trophæum erigit. Igitur triumphate pares, utriuſq; Terræ ſummum decus. Triumphalem adornant pompam qui & Magno

gno

gno applaudunt Vexillifero KOSMACZEWSCII, eandem cum Perilluſtri Matre ducentes originem PNIEWSCII, ad Perilluſtris Aviæ referentes ſe lineam CIECHANOWIECCII, Materno è ſangvine affines.

Herbam tandem FLORIANI porrigo Nomini, cum me illius devincunt merita, & ad roſtra evocant, celebrare, licet non pro tanta dictionis vernantia intendo, qualem Perilluſtris FLORIANI DĘBOWSKI Judicis Terreſtris Plocenſis Progenitoris TUI, requirit Nomen. Platonis mella nonniſi ingenioſæ more apis, ab hoc lego flore. Decerpenda quidem multa manent, ſed exornanda elogiò, negotium faceſſunt. Et non ſtyli inde tenuitas, non eloquentiæ tarditas, ſed multitudo incuſanda eſt meritorum. Si ſingula etenim Illuſtrium Virorum facinora, quæ diſtinctam ſibi vendicant panegyrim, commendanda manerent calamo, aut omnium Eloquentiæ ſectatorum deſudare labor, attenuari ingenia, aut Provinciæ bibliothecis arctandæ forent. In hoc puncto vel maximè à Roſtris uſu acceptata præteritio, dum periodorum ambitu comprehendi nequeunt. Morem proinde gero antiquitatis, ſilentiô prætereo JUDICIS POLOCENSIS acta, quæ etiam ſilent ad noctes Atticas; Taceo merita in Rempublicam, quibus ipſam obruit ætatem, aggra-

 vavit

vavit vires, proprios quos numerat, oppressit annos. Non pro Domo ille sua Orator in Comitiorum confluxu, Judiciorum congressu, sed pro bono Patriæ. Peroravit intrepidus, quæ vastissimum illud Caput, quæ amor Patriæ, quæ interior stimulus, quæ Justitia suppeditaverat, rationum subsidiô promovit solidiùs, prior executus laudabilius. Tantis cumulate Patriam Civibus Superi, brevi Polonorum jugum Scytha feret, Othomanus compedes, fidelis manebit sub Imperio, toties perjurus Moldavus; trepidabunt vicini, pavebunt finitimi, exhorrescent hostes. Si illius virtutes memoro? Religio Pietasq; jam cor, jam animum, jam totum occupaverat. Tacitum quo ad silentia ago in reliquis, licet exigua elogio inseruerim, sed minutissima quamvis recenserem, restant ingentia, quæ nomen celebrent. Non manûs tantummodo assentatio, non mellita vocum lenocinia, sed incorrupta fraudibus veritas, hoc singulare nonnisi concinnavit elogium: *Philippo Macedoni sufficit dicere Filium Te habere Alexandrum.* Uno ille tam beatus Filio, TE ILLUSTRSSIMORUM FILIORUM FILIARUMVE circumstat Corona, cui inæstimabilia inserta in Illm̃is PRÆSULIBUS sunt clenodia. Majorne aut spectari aut optari potest felicitas? omnes fortuna dotes, omnem solers natura, hic

admo-

admovit conatum, ut in omni ornatiſſimam ILLUSTRISSIMAM Prolem redderet. TE felicem multô titulô credula ſerpenti EVAM ILLUSTRISSIMA de CIECHANOVICCIIS PARENS, illa doloribus circumſepta, TU in ILLUSTRISSIMA PROLE redundas ſolatiîs. Illius flagitioſa ſoboles, improbo crimine, fraterno cruore madens, non erubuit facinus, ubi ſceleri impalluit. TUA ILLUSTRISSIMA propago, quædam jam in violis rubet ad purpuram, non vano omine, ad Cardinalium Rotam evehenda ad Sacri honoris muricem. Igitur ad elogiô decantandam ILLUSTRISSIMAM VESTRAM PROLEM glorioſiſſimi & PERILLUSTRES deſcendo PROGENITORES ut in VESTRAM aſcendam Gloriam gradationis obſervatâ figurâ. Et primò prono adoro poplite TUAM Majeſtatem ILLUSTRISSIME ANTONI SEBASTIANE DĘBOWSKI PLOCENSIS ANTISTES, nō exclude Polonæ *Societatis* elogia, qui Litvanæ Provinciæ, ſum̄is victus precibûs, admiſeras. Eodem de TE certat affectu, ut ſibi devincat Univerſa, quo primi decertârunt Patres, unum corpus ſumus, ejuſdem membra capitis, in corde eodem parem nutrimus erga Mecœnates, Religioniq; Noſtræ addictos Principes, Benefactores, & in omni Dignitatis ſubſellio conſtitutos, amorem, gratitu-

dinem & reverentiam. Singulas diſcurre Provincias, luſtra: Auſtriam, Belgas, Gallos, Italos, Hiſpanos, & ne Nomine Provinciarum paginā oppleam, eodem geſtientis affectûs, TE ſinguli nobiſcum excipient tripudiò. Encomiorum initium ad coronidem repoſitus Titulorum, in TUARUM laudum volumine Præſuleus ſuppeditat Honor; ab hoc præcipuum Nominis ducis ornamentum. Hic etenim qui aliis terminalis creſcendi terminus eſt, TUÆ Gloriæ exordium. Cæpiſti quà finis erat, ab hoc exordiri fine encomia liceat. Revocare in memoriam attritas uſu TUO Dignitates, Regni referre officia, quæ cum eximia laude, nullôq; ævô peritura tuliſti, temerarium foret, ſemel enim ſpreti, conculcati, (quia profani honores) TUUM amplius non merentur conſpectum. Illis negas aurem, licet ab illis ubivis Terrarum optimè audias, ſed quamvis proſtrati ad pedes jacent, a TUA tamen aſſurgunt planta, & in altum Dignitatis efferunt ſui contemptorem. A calcaneo aliorum, à ſubacta veluti vomere terra, pullulabant roſæ, à conculcata à TE dignitate pullulant violæ, Numinis exornaturæ Aras. Illæ vel maximè Flori conveniunt Nazareno, illæ venuſtatem Templis, decorem partiuntur Diœceſi. Vernantiam inſuper Religionis, ſub his violis ſpectate, in ſuo vigore Divorum cultus

tus, ſacrarum in flore legum obſervantiam, immarceſcibilem virtutem ſingulorum.

Præſuleô adoratô ſoliô, Capitaneali citor edicto, cauſam coram eodem depoſiturus. Cauſæ meritum PERILLUSTRIS MATHIÆ DĘBOWSKI Capitanei Połocenſis virtutes ſunt & merita, quæ dictio ſibi in Elogia appropriat. Juſtiuſne quid cenſeri poteſt, quàm ita injurium eſſe? omnium appello judicium, admittendam enim ſpero cauſam, imo de repertis de novo mihi agendum eſt documentis. Vim ſapit legum, illud, quod juſtum eſt prohibere. Pace TUA & annutu, toties in idem TECUM conſpirante modeſtia, per Te eloquentia jacturam paſſa, dum TE encomiis ſubtraxeras. Pro Połocenſibus ago Oratorem Athenæis, quæ TE in encomia reſiſtente demiſſione TUA, pertrahere minimè valuerant. Recusâſti Panegyres, erudita vocum theatra ſilere feceras, tacuêre illa, ut nos loqueremur. Silentia proinde rumpimus, effundimur cum ſepia in encomia, utriuſq; munus implemus eloquentiæ. Ne optare quidem Aſtræa ſibi poterat Połocenſis emerito digniorem Virum, ſed invidam ſuæ ſorti experimento, diſcit fortunam, cui purpuram, curules, Scipiones, clavam, ipſe parat honor, ut à ſummis ad maximas efferat dignitates. Vota omnium operoſa ſors anticipet, ut illud Titulorũ

 con-

conſcendas faſtigium, â quo *Domus Illuſtriſſima & in Perilluſtri* CÆCILIA *Conjuge* ZĘBRZUSCIORUM, & ŁUSZCZEWSCIORUM Famllia eminet, antiquitus.

Ad Accreſcentis nomen, accreſcere ſpecto dignitates in *Perilluſtri* olim Theſaurario ZAWSKRZYNENSI nunc *Enſifero* JOSEPHO DĘBOWSKI, quia gemino jam vernantem honore. Primum hoc eſt fortunatæ meſſis augurium, prima Titulorum præludia, Regni munere coronanda Meritorum pretia inquiritis? ab æſtimatione valorem penſate *Theſaurarii*, quæ nec minori comprehendi ærario, nec una æquari dignitate, nec ſingulari aſſequi queunt gloriâ. Si aurum adijcio auro, hoc eſt in *Perilluſtri Conſorte* GADOMSCIORUM Nomen, majori fortunæ cumulari dono, ut æqualitatem attingat, virtus prætendit. Haſtarum ſuffragiô ad Cæſarum efferri thronos Illuſtres virtute Viros, primîs naſcentis Imperii Romani temporibûs, à monumentis docto exuberantibus pulvere diſcimus, dum ad Imperialem evecti dignitatem, haſtîs à milite, in Gradivi pro Electorali campo, elati, Cæſares inaugurabantur. Quaterna quia non niſi HASTA, hoc eſt una Indigetis TUI, avita TERNA, ideo ad minorem Imperiali honorem, attolleris dignitatem *Perilluſtris* Thoma Dębowſki *Venator & Judex Caſtrenſis*

ſis

ſis Plocenſis, præclarîs geſtîs TUIS & illam promeritus harum ſubſidiô, ad maxima evehendus, ubi tam *Principibus Woronieccüs*, quàm *Principibus Nobilitatis in Perilluſtri è Kampenhauſis* Conſorte Tua, *Illuſtriſſimi Joannis Kampenhauſen Succamerarii Parnavienſis, Generalis Legionum Filia*, affinitate junctus, ipſe non vano omine, brevi Celſiſſimus adorandus.

Eadem meta honoris, Legionis Haſtatæ Heros Tibi proponitur *Perilluſtris Stanislae Dębowſki* POCILLATOR ZAWSKRZYNENSIS. Attigiſti GENTILITIIS HASTIS, hanc quidem fortunatā metam, ſed hæc haſtiludia aſſvetam militari telo, exercitatā magis reddunt manum ad primam in quavis arena attingendam gloriam & dignitatem. Jam Comitum *in Perilluſtri Pſurſka Sponſa*, proximè ſangvine juncta COMITI SOLKOWSKI, potitus honore, ad Ducum, Gentilitiâ munitus HASTA, collima dignitatem. Vocalis in JOANNE DĘBOWSKI fama, etiam per exte-rarum Oras Regionum, quas ille luſtrando, ita morum acceptabili decore omnium admirationi fuit, ut vitam JOANNIS præferre videretur. Imitator effectus es vitæ, ſingulorum oraculô ſis & Gloriæ, ut nemo TE JOANNE aſſurgat Major. Claudant Illuſtriſſimæ agmen Familiæ PERILLUSTRES: BIRGIDA & JOANNA SORORES,

utraq; jam *Skarbkowa*, *Subdapifero Vinnicensi Samueli Birgida*, *Perillustri Vexillifero Trembovelienſi Joanna*, matrimoniali junctæ vinculo, quarum merita Gentilitii SKARBKORUM ABDANK litera, indelebili circūſcribit charactere.

Ad extremum ſummarum enumeranda veniunt Nomina Familiarum; Murice, illa pro ſepia ſcribi debent, quia in ſingulis ferme Senatoria, gemmîs diſtingvi pro periodis, utpote inæſtimabilia, & niſi innumera forent (plura enim notitiam & calamum effugiunt) ſeparatô coli debuerant elogiô. Vix tot Cognata Nomina Cæſarum, Druſorū, Fabiorū, Scipiadum ſuppeditabant Familiæ, quantus à Paterna Maternave linea accreſcit numerus, aliqua tamen ad elenchum refero. Paternam primò ducens lineam, nimirum SLATKOWSCIOS, DZIALINSCIOS, NISZCZYCCIOS, BILINSCIOS, KRYSCIOROS, UNIECCIOS, ROSCISZEWSCIOS, KARSCIOS, ZAKRZEWSCIOS, KOZIEBROCCIOS, JEZEWSCIOS, ZBOINSCIOS, RUTKOWSCIOS, MLICCIOS, UBYSZOS, ORŁOWSCIOS, TLUBIECCIOS. Pari fæcunda numero Materna linea Familiarū in CZARTORYISCIIS, KOSOBUCCIIS, DROZDOWSCIIS, WINNIECCIIS, WIENSCIIS, RZECZKOWSCIIS, NIETYXIS aliiſve ſexcentis. Eodem inſcribi debent Catalogo, à Fra-

terna

terna Perillustris Capitanei ex Connubio descendentes linea LUSZCZEWSCII, SUSCII, CIECHOWSCII, JASINSCII, MOSTOWSCII, SATKOWSCII, GRABSCII, LAZNIEWSCII. Nec erudito comprehendi possunt margine, quem exsuperant, dum in hunc fontem, cum RUPNIEWSCIORUM sese infundunt SRZENIAWA, cognata in UIEYSCIIS, OZAROWSCIIS, ZIELINSCIIS Nomina, quibus terminalem DĘBOWA GORA ponat aggerem, & Rubiconē, utpote à sangvinis influxu, detineat & comprehendat hujus maris flumina. Dignitate enodata TUA, ex uno nonnisi fonte, hoc est Sangvinis per tot limpidissimos decurrentis rivos scaturigine, ex multis declaranda insuper fontibus, TUA venit dignitas. Multa etenim stylus TUO detraheret merito, si totum non nisi decus,ab alieno, licèt TUORUM duceret elogio, TIBIVE appropriaret, qui cum Dives sis talentîs NICOLAUS, emendicatô minimê vivis encomiô. Extra quidem laudum fucum, affectatave calami lenocinia subscribimus, quod in TE uno singulorum Prædecessorum TUORUM ad vivum, utpote quas TIBI innatas habes, plurimæ exprimantur Virtutes, Fumosæq; Imagines purpureo niveoq; verecundiæ & candoris animi, illustrentur colore. Proinde nec illorum, jacturam intenden-

do encomiorum quæ non exiguô collegerant ſtudiô, nec TE minora proferendo, pro utriſq; concludam. Præcedunt TE & ſuperant, quia Majores TUI; ſed prima naſcendi ſorte, TU vernantiſſima ætate TUA, illorum uſq; ad canos deductam aſſecutus gloriam, illos celeri virtutis paſſu antecedis ſubſequendo, & antecedendo dignitate, annîs ſequeris. Dignitatem hanc imprimis TUAM auget Pietas, quam cum lacte ſuxiſti, & eruditio TIBI collactanea, utraq; in ſingulis enituit actionibus, utraq; plauſibili à declamantibus illuſtria facinora decantatur præconiô. Fervidam quamvis juventæ experimur ætatem, deſidiosè torpentem, attamen quo ad probitatis & doctrinæ progreſſum, diſcimus, ut nonniſi continua excitantis mandati indigeat cohortatione, motivorumq; ſtimulo. Roſeum ver TUÆ juventæ, florenti herbam præripuit ætati, in qua ita TE probitati & ſcientiæ inaudiîmus deditum, quaſi emolumenta illius priùs perciperes, antequam noſſe poteras. Non alius in illa ætate gratior TIBI ludus, quàm literarius, acceptabilior diſtractio, quàm Numini & Scientiæ vacare. Tanto diſcendi ardori nimius reſpondit profectus, dum ſingulas ſcientias, quas gradus diſtingvit ſcholarum, aſſecutus. Caſtaliîs fontibûs, fluminibûſve Oratoriîs ardens extingvi nequibat ſitis,

ni

ni Eurippô illam temperaret, ita eidem immersus, ut exhaurire planè omnem difficultatem, profundus censeretur Aristoteles. Humaniores literas cum severioribus scientiis ita composuit, ut utrisq; emineret, ita eminuit, ut æquari à nemine potuerit. Ex Atticis tandem noctibus, ad solem publicum progressus, à musarum Athenæo, probitatis tenuit seminarium, qui purpurâ vestiri debuerat, jam pullatus. Tam inopino eventu ubi se contemptam vidit fortuna, jam aggredi inexpugnabile illud cor & animum paraverat, Ducali oppugnatura clavâ, Mareschallorum tentatura aditum Scipionibus, ipso etiam aureo fractura vellere, Spartanô fortius cor illud murò, quo Principum devincit affectus, pectus subigit. Evacuavit gazas, protulit opes, exhibuit thesauros, nec tamen firmum dimovere à proposito aut allicere valuit animum. Ergo magis obcæcata dolore tabuit, vinci se non ferens, quæ de multis, absq; tali triumphat insultu, omnem nihilominus attentat modum, uno solerti frustrata studio, & ubi nullum superest, vim vi repellere audet, aureum injicit torquem, hoc est sacræ dignitatis insigne, & ita insignitô de victoria sibi blanditur. Honoris quidem hæc sunt vincula, non honori tamen devinctos, ast Numini ad crucis trophæum repræsentant. Seminario ille Episcoporũ

Canonicus Plocenſis & Varſavienſis ubi inſcripſit Nomen (Cathedrale ILLUSTRISSIMUM CAPITULUM Cracovienſe intelligo) in quo ſinguli tanquam primæ Dignitatis Viri ad Sacrorum Principatum Cruce torquatica deſignātur. Alterum in illo in prima Sacri Honoris dignitate Canonicum Cracovienſem HYACINTHUM ILLUSTRISSIMUM conſpexit CAPITULUM, ea genuina morum ejus expreſſione, quaſi aut ille redivivus perſonam Illuſtriſſimi indueret, aut hic Hyacinthum, quatenus ejuſdem Cathedræ Canonicum Superſtitem in omni actione exhiberet. Et vel exinde acceptus ſingulis, vota plurium, corda omnium occupavit. Divulgabatur pietatis & ſcientiæ famâ, jam in privatis conſeſſibus, jam in publico Principum alloquio, tandem ad Thronum pervenerat. Gratâ Majeſtas nuntium accepit aure, igitur præ aliis; unde inſignem meriti honorem colligimus (nam non ſterile quoad conſpicuos viros Patrium ſolum eſt) Notarii Regni ornatur munere. Nullo obliterandum ævo Notarii præferens characterem, pro pagina menti omnium ſui inſcripſit memoriam, tot legit elogia, quot literas fermè exaraverat, lectiſſimus ille omnium. A manu ut ab ungve Leo noſcebatur, quod excultam ſcientiîs mentem & calamum præferret. Peritia illi legum ſumma, ut

non

non majorem illarum notitiam, à confertiſſimis doctoq; volumine exuberantibus, obtineres bibliothecis, quam à vaſtiſſimo illo referres capite. Docta hæc manus, quam Regni addixerat miniſterio, promeritum ILLUSTRISSIMI NOTARII oſtentat honorem, mihi aliunde etiam declarandus venit honor. Ut Aſtrorum Principem, minorum corona ſiderum, Thronos famulitium primæ dignitatis Viros latus ſtipantium commendat & diſcriminat, ita Sacrum Virtutum ſatellitium, non poſtremam monſtrat ſanctitatem, & ex hoc invariabili indicio Sacrorum Reges inferimus, quorum perfectiori hæc propria ſtatui. Licèt quem lateret honor Præſuleus quô ornaris, ex ipſo ſelectiſſimo virtutum comitatu, huic dignitati proprio, in notiam TUI deveniret. Sequitur TE, ſeu veriùs quamlibet TUAM antecedit actionem, circumſpecta Prudentia, illi inſiſtendo ſumma licèt aggrederis, proſperrimo ad effectum deducis ſucceſſu. Nemo etenim à trito felicitatis aberravit tramite, illa præeunte, nemo errori ſuccubuit, niſi illa recedente. Illa ſceptra regit, moderatur clavas, præeſt clavo, legem cuivis imponit imperio. Regimine licèt quovis illa attollatur, in Paſtorali attamen magis eminet dignitate, utpote prima & ſuprema virtus, in qua cardo rei vertitur. Abeſſe à TUO latere, quæ

corpſum occupat, nullus unquam obſervavit Juſtitiam, hanc comitem in annorum curſu ſemper habueras. Temperantia & Fortitudo, ita firmiter TIBI adhæſerat, adhæretq; ut æterno mancipata videatur nexu. Stupuit mira in ſuo ANTISTITE plurimam Virtutum frequentiam, ILLUSTRISSIMUS PRÆSUL NICOLAUS jam multiplici virtutum cinctus coronâ, tantô Indigetis Sui animatus exemplô, quem dignitate ſecutus, ita in pari colligendo deſudat virtutum famulitio. Minori alebatur ſtudio æternùm duratura Veſtalica flamma; ignes Græciæ non tam flagranti excitabantur curâ, quâ in Paſtorali illo pectore animarum fovetur zelus. Conſumente ardet Igne, ut in Numinis amorem corda omnium accendat, ad hanc elucent flammam virtutes ſingulæ, quas ſacer exambit honor.

Felicitati ſuæ applaudit Podolia, quod tam emeritum, omniq; virtute ornatum in TE habeat PRÆSULEM. Deliquium Aviti ſolis ejuſdem vidimus, dum ſuo ſplendore in Illuſtriſſimo Anteceſſore TUO privaretur. Ad deſideratiſſimum TUUM ingreſſum ſerenos jam reaſſumit vultus, ubi aureum jubar & ab Illuſtriſſimis Titulis, & à virtutum nitore ſibi uberius videt reſtitui. Divus Camenecenſis GEORGIUS propriâ, Suæq; aſſvetâ Manui armatur

haſtâ

haſtâ, triumphalem ad TUUM ingreſſum adornaturus pompam. Equo inſidet, ut ſingulorum præveniat applauſus. Sacri ſui muneris ſucceſſorem, ILLUSTRISSIMI CAPITULI CAPUT & Patronus, Chriſti olim Primus in Terris Vicarius PETRUS, cum individuo Vitæ & Mortis Comite TE invitat PAULO, ut pro Septicolli Urbe, hanc, quam ille incolit, aſcendas Cathedram. Præfert ſui muneris claves, eaſdem TIBI collaturus, ut illis Vaticanam etiam ædem reſerare valeas, Thronumq; aſcendere, & Fidei aditum poſſis pandere ad othomanicam etiam Portam, quam hucuſq; imperviam, quia Machometis obſeratam pertinaciâ, Religio Chriſtiana experitur. Deſert quo occubuit PAULUS Gladium, ut eodem utaris in hoſtes Numini rebelles, & corrupta Religionis reſcindas membra.

Quem Sanctiſſimum in vita colimus, eidem Sanctorum poſt ſera fata optamus radios. BENEDICTO XIV, quod ab ejus oraculo noſtrûm ſis daclaratus ANTISTES. Auri ſilentia munificam LEONIS X Pontificis Maximi deprædicant manum, quam ad Camenecenſe ſub SIGISMUNDO Rege extendit fortalitium, liberali munivit auro, ut à ferro barbaro foret inexpugnabile. Quovis illo lapide velox ad munera Sanctiſſima illius attollitur liberalitas, Cœ-

Iove approximatur. Majora non Urbi tantùm Camenecensi, sed toti Diæcesi præstas beneficia, nunc summum in Terris BENEDICTE, Caput, dum ILLUSTRISSIMUM nobis PRÆSULEM, omni majorem pretio, omni ditiorem gaza, omni sublimiorem elogio, ad tempus quamvis (nam sorti Nostræ reliquæ jam invident Insulæ eumq; exambiunt) largiris. Pars tantùm mæniorum illa liberali manu è ruinis elata, in ILLUSTRISSIMO NOSTRO ANTISTITE, à quavis illius actione (nam quævis Superum meretur approbationem) Universorum subsequetur ædificatio. Fidem id meretur in quo Summi Ecclesiæ Capitis mentem habemus manifestam, nec illo annuente oppositum formare potest sensum, nisi acephala sit temeritas. A Cathedra TE promulgatum Petri ad ejusdem Camenecensem Sedem percipimus; ergo tantã de TUA dignitate adhibemus fidem, quantam Authoritas requirit dicentis. Omnia quamvis hujus excluderem documenta, proscriberem testimonia, aurem dictis negarem, ex prima hac Infula, cui & non alteri verticem submittis & tempora, dignitatem declaro TUAM. Ea est ipsius quamvis naturæ dispositio, ut nonnisi summa ingentibus, ingentia anteponat grandibus, nec Solem nisi Cœlo; nec Lunam nisi sublunaribus, nec Aquilam nisi pennatæ Turbæ;

qua-

quadrupedibus ſylvarum incolis, ipſos nonniſi præficiat Leones. His ſi adverſam ex innato inſtruit inſtinctu aciem, ſi antipaticos ſuccendit affectus, Cornutæ Cynthiæ Solem, Struthioni Aquilam, Tigridi ipſos nonniſi opponit Leones. A natura ad induſtriam artis deſcendo, pumiliones Gigantibus, imbelles, Cadmeæ proli, ſangvineus unquam Gradivus objecerat, ſed Jovẽ Gigantes, Cadmea proles ſenſit invictum robur. Ad Præſuleum evehi honorem in illa Orbis parte, quæ jurato Fidei vallata hoſte, comperta, inconcuſſa & impavida nonniſi poteſt Virtus, invictus ſit præliô, unctus ſacro honori Athleta, ut humerum moleſto ſubmittere valeat oneri, & cum adverſa colluctari acie, ipſe ſit virtute clarus, publico exponendus Soli. Podoliæ TU PRÆSUL ILLUSTRISSIME Phæbo, ut ejuſdem modereris curſum, Lunatico in Machomete objiceris hoſti, quem nemo hactenus aperto aggreſſus Marte, quin priùs de illo conclamatum foret, antequam fidei certamen indiceret. Ad illius deſcendis Limites, Bella Domini gerere paratus, ſi ſilentio oppreſſum intonabit claſſicum. Lernæum ille et pluſquam ſepteno metuendum vertice monſtrum ſit. TE Religio veriorem novit, cui opponit Herculem. Penſate igitur non à clava, ſed à Pedo, quo ad fidei defenſionem, à primo munere dignitatem

ſacerrimi Alcidæ, utpote qui tam arduo muneri in hoc loco exponitur, à quo in Univerſum Nominis, meriti & dignitatis extendit decus.

Tributum gratitudinis cum tota Camenecenſi Diœceſi & TIBI perſolvimus Regum Invictiſſime AUGUSTE III, quod TE Nominā-te, ad Præſuleum Honorem, omnibûs ornatum Talentûs ILLUSTRISSIMUM adoremus ANTISTITEM, hæc colla, quæ Othomani jugo exemerat SERENISSIMUS GENITOR TUUS AUGUSTUS II Chriſtianitatis vindex Propugnaculi & Podoliæ, Majeſtati TUÆ ſubjecta habes. Pari etenim, ad arcendam infidelitatis rabiem, maturam crimine, ſceleribûs adultam; ſollicitudine reſpondes Cameneco, qua egit IPSE ad illud vindicandum, à vicino hoſte, cladibûs toties enutrito, ſaturato mortibûs. Evicit ILLE ut Provincia hæc Regno, Provinciæ Religio, Religioni ſacrorum cum Cathedra Princeps reſtitueretur, TU Regum Sereniſſime, hæc pro TUA agis Religione, ubi TUO voto, hos ad Sacrorum promoves ſubſellia, ſub quorum Imperio, Religio ſuperatò hoſtium inſultu, pacis oleâ coronabitur. Hæc pro Sacrorum commendatione Regis, ab illius Throno protuli Orator, Epheſtionem ad Antiſtitis Annulum pro Senatoris munere minimè acturus. Ejuſdem virtutis Suffragiô, eadem meriti dignitate, Se-

nato-

natorias aſcendis curules quâ Pontificiam Cathedram occupâſti. Si ſcientiâ, Prudentiam, ſi legum peritiam exigunt inſtructa oſtro ſubſellia, tot efformari debuerant curules, quot eminere virtutibûs ILLUSTRISSIMUM PRÆSULEM, Sacer novit honor, ut quævis in ſuū evecta ſolium adoraretur ab univerſis; perfectè enim id legit Polonia è Notarii Regni munere, quantâ ſcientiâ, quantâ Legum emineat notitiâ. Et inde menſuram immenſæ ducit felicitatis, gaudia jungit gaudiis, geminatîs lætitiam teſtatur plauſibûs, quod non ex ipſo tantûm Sacro murice, ſed ex optimis artibus & Virtutibus in Celſiſſimo Senatu TE recognoſcat Senatorem. Apertum cor & viſcera, in quæ TE grata admittit Patria hic iterum exhibet Sarius. Exhibet pectus lacerandum periculis, ut TUÆ proſpiciat ſecuritati, & fatorum exterminet viciniam, quam omni necis inſultu, ictu gladii, cruentô telò decernit acerbiorem. Et in hunc ille amorem, ad Præſuleam ſe ſe obſtringit tæniam, cujus jam plurima evolvit documenta. O milleno dignum honore Senatorem! o! ter quaterve Beatam, à tam Magnanimo ANTISTITE & Senatore Patriam! ſumma merueras, dum tanto ornaris VIRO.

Et jam concludite Univerſi omni inſignitum dignitate, de quavis laudabilem Virtute

ILLUSTRISSIMUM PRÆSULEM, decus & ornamentum eſſe Titulorum, Telis illius honorem, omnem ſubjectam eſſe fortunam. Viciſti meritis Titulorum exercitus, triumpha de ſingulorum etiam affectibus, Victor animorũ ANTISTES ILLUSTRISSIME, ſub Avitas deſcendit HASTAS TUO militatura Honori JESU SOCIETAS, triumphales excitat rogos, Igniti PATRIS flamma, Votis ardent Aræ, ut non priùs in æternitatis ſphæram Gentilitiæ colliment HASTÆ, donec omni, qui ſuperest, ſacro devicto honore, multiplici ſuperató ſæculô, ipſum Piſcatoris Annulum, pro Titulorum meta præfixum attingant.

